



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

De Sanguine Agni immaculati, D. Amb. Sententia. xc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

quem Ioannes Apostolus in Apocalypsi scribit occi- Rom. 5.
 tum ab origine mundi. Non quod tum manifestè occide- Apoc. 13.
 retur: sed quod occisio Christi semel in plenitudine tem-
 poris facta, sparsa est antrosum vsq. ad ipsum Adam:
 & retrorsum spargetur vsq. ad consummationē seculi.
 De sanguine Christi Agni immaculati, præclara D.
 Ambrosij Sententia.

Sicut vnus est Deus: ita & vnus Mediator Dei & CAPVT
 hominum, homo Christus Iesus. Ipse est solus qui re- XC.

dimittit hominem, vincens pietate germanos: quia pro alie- Ambrosi. in
 nis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro Psal. 48.
 fratre. Itaque proprio corpori non pepercit, vt nos redi- 1. Tim. 2.
 meret a peccato: & dedit semetipsum redemptionem pro
 omnibus. Sed quare hic solus redimit? Quia nemo potest
 tam equare pietate, vt pro seruulis suis animam suam
 ponat: nemo integritate. Omnes enim sub peccato: omnes
 Ad illius subiacent prolapsioni. Solus redemptor eligitur,
 qui peccato veteri obnoxius esse non possit. Ergo
 Dominus Iesus suscepit hominis conditionem, vt in car-
 ne sua peccatum omnium crucifigeret, & chirographum
 vniuersorum suo cruore deleteret. Itaque propitiatio om-
 nium Christus est: & ipse est vniuersorum redemptio.
 Quæ maior hostia? Quod præstantius sacrificium? Qui
 melior Aduocatus, quam qui pro peccatis omnium fa-
 ctus est Deprecatio: & animam suam dedit pro nobis re-
 demptionem: qui solus Deo mundum reconcilianit per
 suum sanguinem? Non queritur ergo propitiatio aut
 redemptio singulorum: quia OMNIUM PRETIUM SAN-
 GVIS EST CHRISTI, quo nos redemit Dominus
 Iesus: qui solus Patrem reconcilianit, & laborauit vsq.
 ad finem, quia nostrum laborem ipse suscepit, dicens: Ve-
 nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego
 accipiamus a vobis. Vide laborantē. Laboranti, inquit, clamans,
 Math. 11.
 Psal. 68.

T 4 rancor

rauca facta sunt fauces mea. Ergo homo non dabit iam propitiationem suam, nec redemptionem: quia semel ablutus est à peccato, per sanguinem Christi. Laborabis tamen, ut seruet præcepta viuendi, & à mandatis cælestibus non recedat.

FIGURA IIII.

Christus in COLUMNNA NUBIS & IGNIS præfiguratus. Exodi 13.

Dominus præcedebat filios Israël ad ostendendam viã per diem in columna Nubis, & per noctẽ in columna Ignis: vt Dux esset itineris vtroq. tempore. Nũquam defuit columna Nubis per diem, neque columna Ignis per noctem, corã populo.

FIGURÆ EXPLICATIO.

CAPVT
XCI.

SEMPER adsuit Filius Dei CUSTOS & VMBRACULUM sua Ecclesie, omniq. Anima fideli, vero atque perfecto corde ei adherenti, ipsumq. ex animo inuocanti, sicut populo Israël de Egypto, & per desertum XL. annis vaganti adsuit Dux, Custos & Protector, interdum regens eos nube, & noctu lucẽtibz flammis circundans. Ideo ad Iosue sic ait: Ero tecum: nõ dimittam nec derelinquam te. Ecce precipio tibi: confortare & esto robustus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus. Et in Zacharia dicit: Ego ero ei murus ignis in circuitu. Quid igitur nos magis consolari potest, in periculis & trepidatione? Itaque hanc dulcissimam imaginem & consolationem, cum cogitamus, simul petamus à filio Dei D. N. Iesu Christo, vt nobis quoq. Umbraculum esse velit: & Spiritus sancti sui igne pectora nostra accendat, vt firma & ardenti fide in ipso quiescamus, et in omnibus periculis et arumnis illi fidamus: ipse autẽ nobis eum humiliter inuocantibus adesse dignetur.

FIGURA